OR
SW171
Hy 1988
cop2

205

CONTINUATIO
DE
ULTIMO JUDICIO:
ET DE
MUNDO SPIRITUALI.

AMSTELODAMI:

MDCCLXIII.

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

Continuatio de Ultimo Judicio, &c. — References: *De Cœlo et Inferno,* in n. 32, 38, 48. *De Ultimo Judicio,* in n. 1, 7, 9, &c. *Doc. de Domino,* in n. 12, 76. *Doctrina de Scriptura Sacra,* in n. 14, 48, &c. *Doctrina Vitæ,* in n. 45, 76.

Continuatio de Ultimo Judicio, &c. — *Præfatio ad Doctrinam de Domino* announces the coming work, the materials for which had been gathering in the Diary. [The *Heading* on p. 84, *Diarii pars septima,* refers to the second part of this work, *De Mundo Spirituali;* but this *Heading* is regarded as the editor's, not Swedenborg's.] *Doctrina de Domino,* n. 62, mentions it as yet to be published. *De Scriptura Sacra,* n. 32, alludes to it among the works promised in the *Preface.* It is referred to in *De Divino Amore et Divina Sapientia,* n. 11, 386. *De Divina Providentia,* n. 27, 255, &c. *Apocalypsis Revelata,* n. 17, 24, &c. *De Amore Conjugiali,* n. 39, and advertisement. *Vera Christiana Religio,* n. 772.

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

CONTINUATIO
DE
ULTIMO JUDICIO.

Quod Ultimum Judicium peractum sit.

1. In priori Opusculo de Ultimo Judicio actum est de his: Quod Interitus Mundi non intellectus sit per diem Ultimi Judicii, n. 1 ad 5. Quod Procreationes Generis humani non cessaturæ sint, n. 6 ad 13. Quod Cælum & Infernum sint ex Humano Genere, n. 14 ad 22. Quod omnes, quotcunque nati sunt homines a principio creationis & defuncti, sint in Cælo vel in Inferno, n. 23 ad 27. Quod Ultimum Judicium futurum sit ubi omnes simul sunt, ita in Mundo spirituali & non in Terris, n: 28 ad 32. Quod Ultimum Judicium existat, quando finis Ecclesiæ est; & quod finis Ecclesiæ sit, quando non fides quia non charitas, n: 33 ad 39. Quod omnia, quæ in Apocalypsi prædicta sunt, hodie impleta sint, n: 40 ad 44. Quod Ultimum Judicium peractum sit, n: 45 ad 52. De Babylonia & ejus destructione, n: 53 ad 64. De priori Cælo & ejus abolitione, n: 65 ad 72. De statu Mundi & Ecclesiæ posthac, n: 73, 74.

2. Quod de Ultimo Judicio continuetur, est imprimis ut sciatur qualis status Mundi & Ecclesiæ fuit ante Ultimum Judicium, & qualis status Mundi & Ecclesiæ factus est post illud; tum, quomodo Ultimum Judicium peractum est super Reformatos.

3 Communis opinio in Christiano Orbe est, quod universum Cælum quod oculis spectatur, & quod universa Terra quæ ab hominibus habitatur, die Ultimi Judicii peritura sint, & quod novum Cælum & nova Terra loco illorum exsti-

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

exſtitura; & quod tunc Animæ hominum recepturæ ſint ſua corpora, & ſic homo futurus homo ſicut prius. Hæc opinio fidei facta eſt ex eo, quod Verbum non aliter intellectum ſit quam ſecundum ſenſum literæ ejus, nec aliter potuit intelligi, antequam ſenſus ejus ſpiritualis detectus eſt: tum ex eo, quod a multis inducta ſit fides, quod Anima ſit modo halitus exſpiratus ab homine; quodque Spiritus ſint ſubſtantiæ venti, ſimiliter Angeli: quamdiu non plus in intellectu de animabus, deque ſpiritibus & de angelis fuit, non potuit aliter cogitari de Ultimo Judicio. Sed quando in intellectum venit, quod homo ſit homo poſt mortem, quemadmodum fuit homo in mundo, cum ſola differentia quod tunc indutus ſit corpore ſpirituali, & non naturali ſicut prius, & quod Corpus ſpirituale coram illis qui ſpirituales ſunt, ſimile appareat, quemadmodo Corpus naturale apparet coram illis qui naturales ſunt, tunc etiam in intellectum venire poteſt, quod Ultimum Judicium non futurum ſit in Mundo naturali, ſed in Mundo ſpirituali; in hoc Mundo enim omnes homines uſquam nati & defuncti ſimul ſunt.

4. Quando hoc in intellectum venit, tunc diſſipari poſſunt paradoxa, quæ homo alioquin cogitaturus eſſet de ſtatu animarum poſt mortem, de reunitione illarum cum corporibus putrefactis, & de deſtructione Univerſi creati, ita de Ultimo Judicio. De ſtatu animarum poſt mortem cogitaturus eſſet hæc paradoxa; quod homo tunc eſſet ſicut halitus, aut ſicut ventus, aut ſicut æther, vel volitans in aere, vel non manens in loco, ſed in Ubi, quod vocant Pu, ac nihil videret quia non ei oculi, nihil audiret quia non ei aures, nihil loqueretur quia non ei os, ita foret cæcus, ſurdus & mutus, & jugiter in exſpectatione, quæ non poteſt non triſtis eſſe, de receptione functionum iſtarum animæ, ex quibus omne jucundum vitæ ejus eſt, die Ultimi Judicii: & quod in ſimili ſtatu miſero eſſent Animæ omnium hominum a prima creatione, & quod illi qui ante 50 ac 60 ſæcula vixerunt, adhuc in aere ſimiliter volitarent, aut in Pu manerent, & exſpectarent judicium: præter lamentabilia alia.

5. Ut præteream paradoxa, quæ homo, qui non ſcit quod poſt mortem ſit homo ſicut prius, cogitaturus eſſet de deſtructione Univerſi; quæ ſimilia ſunt, & æque multa. Verum cum novit, quod homo poſt mortem non ſit halitus aut ventus, ſed quod ſit Spiritus, ac ſi bene vixit, Angelus in Cælo, & quod ſpiritus & angeli ſint in perfecta forma homines, tunc poteſt de ſtatu hominum poſt mortem, & de Ultimo Judicio ex intellectu cogitare, & non ex fide ſeparata ab intellectu, ex qua meræ traditiones exeunt: & quoque poteſt ex intellectu pro certo concludere, quod Ultimum Judicium, de quo prædicitur in Verbo, non exſtiturum ſit in Mundo naturali, ſed in Mundo ſpirituali, ubi omnes ſimul ſunt: tum etiam, quod Ultimum Judicium, quando ſit, propter fidem Verbi, revelandum ſit.

6. Separa te ab idea de Anima quod ſit ſicut halitus, & cogita tunc de ſtatu tuo, aut de ſtatu amicorum, aut de ſtatu infantum tuorum poſt mortem; annon cogitabis quod victurus ſis homo, & de illis ſimiliter; & quia ſine ſenſibus non datur vita quæ vita, non potes aliter cogitare, quam quod etiam videant, audiant & loquantur; ita quoque ſcribunt Parentatores ſuper defunctis,

ponunt

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

ponunt illos in cælo inter angelos, in veſtibus abis, & in paradiſis: at poſthac relabere in ideam, quod Anima ſit halitus, & quod non prius vivat cum ſenſu quam poſt ultimum judicium, annon poteris inſanire, cogitando, qualis ero, ubinam interea, num volabo in aere, vel manebo in Pu; docuit tamen Prædicator, quod poſt mortem inter beatos venturus ſim ſi bene credidero & bene vixero. Credas itaque, ſicut veritas eſt, quod ſis homo poſt mortem ſicut ante illam, cum ſola differentia, quæ eſt inter naturale & ſpirituale: ita quoque cogitant omnes, qui credunt vitam æternam, & nihil ſciunt de traditione hypothetica de anima.

7. Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, conſtare poteſt, quod Ultimum Judicium non in Mundo naturali, ſed in Mundo ſpirituali exiſtere poſſit; quod etiam in illo Mundo exſtiterit, videri poteſt ex illis, quæ in priori Opuſculo de Ultimo Judicio n: 45 ad 72, ex viſis memorata ſunt, ac ulterius ex ſequentibus, quæ de Judicio ſuper Reformatos ex viſis memoranda ſunt. Ille qui attendit, id quoque videre poteſt ex Novis, quæ de Cælo, de Verbo, & de Eccleſia nunc revelantur: quis homo poteſt talia ſumere a ſe.

De ſtatu Mundi & Eccleſiæ ante Ultimum Judicium, & poſt illud.

8. Quod Ultimum Judicium in Mundo ſpirituali peractum ſit, conſtare poteſt ex illis quæ nunc ſupra dicta ſunt: at vero ut aliquid ſciatur de ſtatu Mundi & Eccleſiæ ante illud & poſt illud, omnino ſcienda ſunt hæc, I. Quid intelligitur per prius Cælum & per priorem Terram quæ tranſiverunt, Apoc. XXI. 1. II Quinam & quales fuerunt qui in priore Cælo & in priore Terra. III. Quod, antequam Ultimum Judicium ſuper illos factum eſt, multa communicatio inter Cælum & Mundum, ita quoque inter Dominum & Eccleſiam intercepta fuerit. IV. Quod poſt Ultimum Judicium communicatio reſtituta ſit. V. Quod inde ſit, quod poſt Ultimum Judicium, & non prius, Revelationes pro Nova Eccleſia factæ ſint. VI. Quod ſtatus Mundi & Eccleſiæ ante Ultimum Judicium fuerit ſicut Veſpera & Nox, poſt illud autem ſicut Mane & Dies.

9. I. *Quid intelligitur per prius Cælum & per priorem Terram quæ tranſiverunt, de quibus in Apocalypſi Cap. XXI.* 1. Per prius Cælum & per priorem Terram ibi, non intelligitur cælum quod coram oculis hominum in mundo apparet, nec terra quæ ab hominibus incolitur; nec intelligitur Cælum prius, in quo ſunt omnes a prima creatione qui bene vixerunt: ſed intelliguntur Congregationes ſpirituum, qui inter Cælum & Infernum ſibi tanquam Cælos fecerunt: & quia omnes Spiritus & Angeli habitant ſuper terris, æque ac homines, inde per prius Cælum & priorem Terram illa intelliguntur. Quod illud Cælum & illa Terra tranſiverint, viſum eſt, & ex viſis deſcriptum in Opuſculo de Ultimo Judicio n. 45 ad 72.

10. II. *Quinam & quales fuerunt illi qui in priori Cælo & in priore Terra*, deſcriptum eſt in Opuſculo de Ultimo Judicio; ſed quia ex cognitione, quinam &

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

quales fuerunt, pendet intellectus sequentium, de illis etiam hic dicetur. Omnes illi, qui se congregaverunt sub Cælo, & in variis locis sibi tanquam cælos formaverunt, quos etiam cælos vocaverunt, fuerunt conjuncti cum Angelis Ultimi Cæli, sed solum quoad externa, non autem quoad interna: pleriqne fuerunt hirci & ex eorum familia, de quibus apud Matthæum Cap XXV. 41 ad 46; qui quidem in mundo non fecerunt mala, moraliter enim bene vixerunt, sed non fecerunt bona ex origine boni, separaverunt enim fidem a charitate, & inde mala non ut peccata aspexerunt: hi quia in externis ut Christiani vixerunt, conjuncti fuerunt Angelis ultimi Cæli, qui similes illis in externis suut, sed non similes in internis, sunt enim Oves, & in fide, sed in fide charitatis. Propter illam conjunctionem non potuerunt non tolerari; nam separare illos ante Ultimum Judicium, fuisset damnum inferre illis qui in ultimo Cælo erant, traherentur enim hi cum illis in perniciem. Hoc est quod Dominus prædixit apud Matthæum,, *Jesus dixit Parabolam; simile est Regnum cælorum homini seminanti bonum semen in agro suo: sed dum dormiverunt homines, venit ejus inimicus, & seminavit Zizania & abivit: cum germinavit herba, & fructum fecit, tunc apparuerunt etiam Zizania: accedentes autem servi Patrisfamilias, & dixerunt illi, Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo, visne ergo abeuntes colligamus illa: ipse vero dixit, non, ne forte colligentes Zizania, eradicetis simul cum illis Triticum: sinite una crescere utraque usque ad messem; & tempore messis dicam messoribus, colligite prius Zizania, & colligate ea in fasciculos ad conburendum ea; Triticum vero congregate in horreum. Qui seminavit bonum semen est Filius hominis; ager est mundus; semen sunt filii Regni; Zizania sunt filii mali; messis est consummatio sæculi: quemadmodum ergo colliguntur Zizania, & comburuntur, sic erit in consummatione sæculi*,, XIII. 24 ad 30. 37 ad 40; Consummatio sæculi est ultimum tempus Ecclesiæ; Zizania sunt qui interius mali sunt; Triticum sunt qui interius boni sunt; collectio illorum in fasciculos ad comburendum, est ultimum judicium super illos; ne per separationem ante ultimum judicium damnum inferatur bonis, intelligitur per ne colligendo Zizania eradicetis simul cum illis triticum, sinite utraque crescere usque ad messem.

11. III. *Quod antequam ultimum judicium super illos factum est, multa communicatio inter Cælum & Mundum, ita inter Dominum & Ecclesiam, intercepta fuerit.* Omnis illustratio homini est a Domino per Cælum, ac intrat per viam internam; quamdiu inter Cælum & Mundum, seu inter Dominum & Ecclesiam, talium congregationes fuerunt, non potuit homo illustrari; fuit sicut cum jubar Solis per atram interpositam nubem disparatur; aut sicut sol per interjectam lunam ecclipsin patitur, ac lux ejus intercipitur: quare si tunc aliquid a Domino revelatum fuisset, hoc vel non intellectum, vel si intellectum usque non receptum, vel si receptum usque postea suffocatum fuisset. Nunc quia omnes illæ Congregationes interpositæ per ultimum judicium dissipatæ sunt, patet. IV *Quod communicatio inter Cælum & Mundum, seu inter Dominum & Ecclesiam, restituta sit.*

12. V. *Quod inde sit, quod post ultimum judicium peractum, & non prius, Revelationes pro Nova Ecclesia factæ sint*; nam postquam per ultimum judicium com-

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

communicatio restituta est, potest homo illustrari & reformari, hoc est, Divinum verum Verbi intelligere, illud intellectum recipere, ac receptum retinere, obstacula enim interjecta remota sunt: quare Johannes, postquam prius cælum & prior terra transivit, dicit se *vidisse novum Cælum & novam Terram; & tunc urbem sanctam Hierosolymam descendentem a Deo e Cælo, paratam sicut sponsam coram Marito suo: & audivit Sedentem super throno dicentem, ecce Nova omnia facio*,, Apoc. XXI. 1. 2. 5; quod per Hierosolymam intelligatur Ecclesia, videatur in DOCTRINA DE DOMINO n. 62 ad 64: ac de Novis ejus, n. 65 ibi.

13. VI. *Quod status Mundi & Ecclesiæ ante ultimum judicium fuerit sicut Vespera & Nox, post illud autem sicut Mane & Dies.* Quando lux veri non apparet, & verum non recipitur, est status Ecclesiæ in mundo sicut Vespera & Nox; quod talis status ante ultimum judicium fuerit constare potest a supradictis n. 11; quando autem lux veri apparet, & verum recipitur, est status Ecclesiæ in mundo sicut Mane & Dies. Inde est, quod bini illi status Ecclesiæ in Verbo dicantur Vespera & Mane, tum Nox & Dies; ut in his,, *Dixit ad me Sanctus, usque ad Vesperam Mane bis mille trecenta; tunc justificabitur Sanctum*,, Dan. VIII. 14 ,, *Visio Vesperæ & Mane veritas est*,, Dan. VIII. 26. ,, *Erit dies unus, qui notus est Jehovæ, non Dies nec Nox, quia circa tempus Vesperæ erit lux*,, Sachar. XIV. 7.,, *Ad me clamans e Seir, custos quid de Nocte, dixit custos, venit Mane, etiamque Nox*,, Esaj. XXI. 12.,, Jesus de Ultimo tempore Ecclesiæ,, *Vigilate, non enim scitis, quando Dominus domus venturus sit, Vesperi, media Nocte, in Gallinaceo, an Mane*,, Marc. XIII. 35 ,, *Jesus dixit, Me oportet operari quando Dies est, venit Nox quando nemo potest operari*,, Joh. IX. 4: & alibi, ut Esaj. XVII. 14 Jer. VI. 4 5. Psalm. XXX. 6. Psalm. LXV. 9. Psalm. XC. 6. Quia per Vesperam & Noctem talia intelliguntur, ideo Dominus, ut impleret Verbum, etiam in Vespera sepultus est, & postea Mane resurrexit.

De Ultimo Judicio super Reformatos.

14. In priori Opusculo de ULTIMO JUDICIO actum est de Judicio super illos, qui per Babylonem intelliguntur; tum aliquid de Judicio super Mahumedanos, & super Gentes; sed non de Judicio super Reformatos; solum dictum est, quod Reformati sint in medio, ordinati secundum Patrias ibi, & quod circum illos Pontificii, circum hos Mahumedani, & circum hos Gentes & Populi ex varia Religione. Quod Reformati Medium seu Meditullium constituerint, erat causa, quia ab illis legitur Verbum, & colitur Dominus, & inde apud illos maxima Lux est, & Lux spiritualis, quæ a Domino ut Sole, qui in sua essentia est Divinus Amor, procedit, se quaquaversum extendit, ac illustrat etiam illos qui in peripheriis circumcirca sunt, & aperit facultatem intelligendi vera, quantum ex religione recipere possunt. Lux enim Spiritualis in sua essentia est Divina Sapientia, ac intrat apud hominem in intellectum ejus, quantum is ex cognitionibus receptis in facultate percipiendi est, nec per spatia vadit sicut lux mundi, sed per affectiones & perceptiones veri, ita in instanti

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

ti ad ultimos fines cælorum. Ex his ſunt apparentiæ ſpatiorum in illo Mundo. De his videantur plura in DOCTRINA DE SCRIPTURA Sacra n. 104 ad 113.

15. Sed de Ultimo Judicio ſuper Reformatos in hoc ordine dicetur: I Super quos ex Reformatis Ultimum Judicium factum eſt. II. De Signis & Viſitationibus ante Ultimum Judicium. III. Univerſale Judicium quomodo factum eſt. IV. De ſalvatione Ovium.

16. I. *Super quos ex Reformatis Ultimum Judicium factum eſt.* Ultimum Judicium non ſuper alios ex Reformatis factum eſt, quam ſuper illos, qui in Mundo profeſſi ſunt Deum, legerunt Verbum, audiverunt prædicationes, obiverunt ſacramentum Cænæ, ac ſolennia cultus Eccleſiæ non neglexerunt; & tamen ut licita reputaverunt adulteria, varii generis furta, mendacia, vindictas, odia, & ſimilia; hi tametſi Deum profeſſi ſunt, uſque nihili fecerunt peccata contra Ipſum; Verbum legerunt & uſque nihili fecerunt præcepta vitæ ibi; audiverunt prædicationes & uſque nihil attenderunt; ſacramentum Cænæ obiverunt & uſque non a prioris vitæ malis deſtiterunt; ac ſolennia cultus non neglexerunt, & uſque nihil emendarunt vitam; ita vixerunt in externis ſicut ex religione, & tamen in internis nulla illis religio fuit. Hi ſunt qui per Draconem in Apocalypſi Cap. XII intelliguntur, nam de Dracone ibi dicitur, quod viſus ſit in Cælo, quod cum Michaele in Cælo pugnaverit, & quod e Cælo detraxerit tertiam partem ſtellarum; quæ dicta ſunt, quia tales per profeſſionem Dei, lectionem Verbi, & per cultum externum, communicaverunt cum Cælo. Jidem etiam intelliguntur per Hircos apud Matthæum Cap. XXIV, ad quos non dicitur quod mala fecerint, ſed quod omiſerint bona facere, & illi omnes omittunt bona, quæ bona ſunt, facere, quia mala ut peccata non fugiunt, & tametſi illa non faciunt, uſque licita reputant, & ſic ſpiritu faciunt illa, & quoque corpore dum licet.

17. Super omnes illos ex Reformatis Ultimum Judicium factum eſt, non autem ſuper illos, qui non crediderunt Deum, contemſerunt Verbum, & Sancta Eccleſiæ corde rejecerunt; nam hi omnes, dum e Mundo naturali in Mundum ſpiritualem venerunt, conjecti ſunt in Infernum.

18. Omnes qui in externis vixerunt ſicut Chriſtiani, & nihili fecerunt Chriſtianam vitam, exterius unum fecerunt cum Cælis, ſed interius cum Infernis, & quia a conjunctione illorum cum Cælo non potuerunt momento evelli, detenti ſunt in Mundo ſpirituum, qui medius eſt inter Cælum & Infernum, & permiſſum eſt illis ſocietates formare, & una vivere ſicut in mundo, & ibi per artes in mundo ignotas ſiſtere ſplendida, & per id perſuadere ſibi & aliis, quod in Cælo eſſent; quare ex apparentia illa externa ſocietates ſuas vocaverunt Cælos. Illi Cæli & illæ Terræ ſuper quibus habitabant, ſunt quæ intelliguntur per Cælum prius & Terram priorem, quæ tranſiverunt, Apoc. Cap. XXI. 1.

19. Interea cum ibi permanſerunt, occluſa ſunt interiora mentis eorum, & aperta exteriora; per quod non apparuerunt illorum mala, per quæ unum faciebant cum infernis: at cum inſtabat Ultimum Judicium, recluſa ſunt interiora, & tunc coram omnibus apparuerunt quales erant; & quia tunc unum agebant cum infernis, non amplius vitam Chriſtianam potuerunt ſimulare, ſed ex

ju-

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

jucundo ruebant in omnis generis mala & flagitia, ac verſi ſunt in diabolos, & quoque ſicut illi viſi ſunt, quidam nigri, quidam ignei, & quidam lividi ſicut cadavera; qui in faſtu propriæ intelligentiæ fuerant viſi ſunt nigri, qui in veſano amore imperandi ſuper omnes viſi ſunt ignei; & qui in neglectu & contemtu veri viſi ſunt lividi ſicut cadavera. Ita Scenæ theatrorum iſtorum mutatæ ſunt.

20. Reformati in Mundo ſpirituum, qui eſt medius inter Cælum & Infernum, conſtituunt intimum ejus, ſeu faciunt meditullium, & ibi ordinati ſunt ſecundum Patrias: in illo Meditullio ſunt Angli in medio; Hollandi ad meridiem & orientem; Germani ad ſeptentrionem; Sueci ad occidentem & ſeptentrionem; & Dani ad occidentem: ſed in Meditullio illo non ſunt alii quam qui vitam charitatis ac ejus fidei vixerunt: Societates illorum ibi plures ſunt: circum illos ſunt Reformati, qui non vitam fidei & charitatis degerunt: hi ſunt qui ſibi ſicut cælos fecerunt. Sed alia omnium ordinatio eſt in Cælo, & quoque in Inferno. Quod Reformati meditullium ibi faciant, eſt quia apud illos Verbum legitur, & Dominus etiam colitur, ex quo ibi maxima lux eſt, quæ lux inde ut a centro propagatur in omnes peripherias, ac illuſtrat: Lux enim in qua ſunt ſpiritus & angeli, procedit a Domino ut Sole, qui in ſua eſſentia eſt Divinus Amor, & inde Lux procedens in ſua eſſentia eſt Divina Sapientia, inde eſt omne ſpirituale iſtius Mundi. De Domino ut Sole in Mundo ſpirituali, & de Luce & Calore ex eo, videatur in Opere de Cælo et Inferno, n. 116 ad 140.

21. Omnis ordinatio Societatum in illo Mundo eſt ordinatio ſecundum differentias amoris; cauſa eſt, quia amor eſt vita hominis, & Dominus, qui eſt Ipſe Divinus Amor, ordinat illas ſecundum receptiones ejus; ac differentiæ amorum ſunt innumerabiles, quas nemo ſcit niſi Solus Dominus. Conjungit Societates ita, ut omnes quaſi unam vitam hominis agant; Societates cælorum ut unam vitam amoris cæleſtis & ſpiritualis; Societates infernorum ut unam vitam amoris diabolici & infernalis; conjungit Cælos & Inferna per oppoſitiones. Quia talis ordinatio eſt, ideo unuſquiſque homo poſt mortem abit in Societatem amoris ſui, nec poteſt alio abire, amor enim ejus contranititur. Inde eſt, quod in Cælo ſint qui in amore ſpirituali ſunt, in Inferno autem qui in ſolo amore naturali: amor ſpiritualis unice per vitam charitatis inditur, & amor naturalis manet naturalis, ſi vita charitatis omittitur; & amor naturalis, ſi non ſubjectus eſt amori ſpirituali, eſt ei oppoſitus.

22. Ex his conſtare poteſt, quinam ex Reformatis ſunt, ſuper quos Judicium factum eſt, quod non ſuper illos qui in Meditullio ſunt, ſed ſuper illos qui circum illud; qui, ut dictum eſt, exterius ſicut Chriſtiani ex moralitate externa apparuerunt, ſed interius non Chriſtiani ex nulla ſpirituali vita fuerunt.

23. *De Signis & Viſitationibus ante Ultimum Judicium.* Viſum eſt ſuper illos, qui ſibi ſicut cælos fecerunt, ſicut nimboſum, quod apparuit ex præſentia Domini in Cælis angelicis, qui ſupra illos, imprimis ex præſentia Ipſius in Cælo ultimo, ne aliqui ex illis propter conjunctionem auferrentur & ſimul perirent. Cæli ſuperiores etiam propius ad illos delati ſunt, per quod interiora eorum,

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

ſuper quos Judicium venturum erat, recludebantur: quibus recluſis non amplius apparuerunt ſicut Chriſtiani morales, ut prius, ſed ſicut dæmones; tumultuabantur & rixabantur inter ſe de Deo, de Domino, de Verbo, de Fide, & de Eccleſia: & quia concupiſcentiæ ad mala tunc etiam in liberum emiſſæ ſunt, rejecerunt omnia illa cum contemtu & ſubſannatione, & in flagitia omnis generis ruebant. Ita ſtatus Cælicolarum iſtorum mutatus eſt. Tunc ſimul omnia ſplendida illorum, quæ per artes in mundo ignotas ſibi fecerant, evanuerunt, palatia eorum verſa ſunt in viles caſas, horti in ſtagna, templa in rudera, ac ipſi colles, ſuper quibus habitabant, in ſcrupeta, & in ſimilia alia, quæ flagitioſis illorum animis & cupiditatibus correſpondebant. Nam omnia viſibilia Mundi ſpiritualis ſunt correſpondentiæ affectionum, quæ ſunt apud ſpiritus & angelos. Hæc erant ſigna venturi Judicii.

24. Sicut recluſio interiorum increvit, ita ordo inter habitantes mutatus & inverſus eſt; illi qui maxime invaluerunt ratiociniis contra ſancta Eccleſiæ, irruperunt in medium, & dominium ceperunt; ac reliqui, qui minus valuerunt ratiociniis, ad latera circumcirca ſeceſſerunt, & illos qui in medio erant, pro ſuis angelis tutoribus agnoverunt: ita colligaverunt ſe in facies inferni.

25. Circa has mutationes ſtatus illorum, factæ ſunt variæ concuſſiones habitationum & terrarum apud illos, quas ſequuti ſunt terræ motus, ingentes ſecundum averſiones: & quoque hic & ibi facti ſunt hiatus verſus inferna, quæ ſub illis erant, & ſic aperta eſt communicatio cum illis; viſi tunc ſunt halitus aſcendentes ſicut fumi commixti ſcintillis ignis. Hæc quoque fuerunt ſigna, quæ præceſſerunt: quæ etiam per Domini verba de conſummatione ſæculi & tunc de Ultimo Judicio apud Evangeliſtas, intelliguntur: ,, *Suſcitabitur gens contra gentem; terræ motus magni diverſis locis: terribilia quoque ſigna de cælo magna erunt. Et erit anguſtia gentium reſonante mari & ſalo.*

26. VISITATIONES etiam factæ ſunt per angelos; nam antequam aliqua ſocietas male ſarta perit, viſitatio ſemper præcedit: Angeli exhortabantur illos ut deſiſterent, & ſi non, denuntiabant illis exitium. Tunc etiam explorabant, num aliqui boni illis intermixti eſſent, quos ſeparabant: ſed turba excitata ab anteſignanis ſuis, contumeliis illos afficiebant, irruentes ut in forum illos traherent, ac nefandis modis affligerent: factum eſt ibi ſicut in Sodoma. Plerique ex illis fuerunt ex fide ſeparata a charitate; & quoque aliqui, qui charitatem profeſſi ſunt, & uſque flagitioſe vixerunt.

27. III. *Univerſale Judicium quomodo factum eſt.* Poſtquam Viſitationes & Signa prænuntia futuri Judicii animos illorum ab actibus facinoroſis, & quoque à machinationibus ſeditioſis contra illos, qui agnoſcebant Dominum pro Deo Cæli & Terræ, ſanctum habebant Verbum, & vitam charitatis agebant, deflectere non potuerunt, ſupervenit Ultimum Judicium. Hoc ita factum eſt.

28. Viſus eſt Dominus in candida nube cum angelis, & auditus eſt ſonus inde ſicut tubarum; quod ſignum repræſentativum tutationis Angelorum cæli a Domino erat, & collectionis bonorum ab undequaque; Dominus enim non infert alicui exitium, ſed modo tutatur ſuos, & abſtrahit a communicatione cum malis, quibus abſtractis mali in ſuas concupiſcentias veniunt, & ex illis ruunt

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

ruunt in nefaria omnis generis. Tunc visi sunt omnes qui perituri simul sicut magnus Draco cum Cauda in curvum extensa, & versus cælum elevata, & in alto diversimode se inflectente, sicut vellet destruere cælum, ac detrahere illud; sed irrito conatu, nam dejecta est Cauda, & Draco, qui etiam tunc elevatus apparuit, subsidit. Hanc Repræsentationem mihi datum est videre, ut scirem & notum facerem quinam per Draconem in Apocalypsi intelliguntur; quod nempe per Draconem intelligantur omnes qui Verbum legunt, prædicationes audiunt, & sancta Ecclesiæ obeunt, ac nihili faciunt concupiscentias mali, quibus inescati sunt, ac intus cogitant furta & fraudes, adulteria & obscæna, odia & vindictas, mendacia & blasphemias, ac ita spiritu vivunt sicut diaboli, & corpore sicut Angeli; hi erant qui ipsum Draconem constituebant; qui autem Caudam, erant qui in fide separata a charitate in mundo fuerunt, ac prioribus similes quoad cogitationes & intentiones.

29. Vidi tunc Petras, super quibus erant, quasdam subsidentes usque ad ima; quasdam translatas in longinqua; quasdam apertas in medio, & per antrum dejectos qui supra erant; quasdam inundatas sicut diluvio; ac multos secundum genera & species mali collectos in cætus, sicut in fasciculos, & conjectos huc illuc in voragines, paludes, stagna & deserta, totidem inferna: reliqui, qui non super petris erant, hinc illinc dispersi, & tamen in similibus malis, attoniti aufugerunt ad Pontificios, Mahumedanos & Gentes, ac religionem illorum fassi sunt; hoc potuerunt absque motione animi facere, quia illis nulla religio fuerat; sed usque ne quoque illos seducerent, abacti sunt, & ad socios suos in infernis detrusi. Hoc fuit exitium illorum universaliter descriptum; particularia, quæ vidi, sunt plura, quam ut hic describi possint.

30. *De salvatione Ovium.* Postquam Ultimum Judicium peractum est, tunc factum est Gaudium in Cælo, & quoque facta Lux in Mundo spirituum, qualis non prius fuerat; Gaudium in Cælo, quale, postquam draco dejectus est, describitur in Apocalypsi Cap. XII. 10, 11, 12; & Lux in Mundo spirituum, quia societates illæ infernales interpositæ fuerunt sicut nubes, quæ obtenebrant terram: similis Lux etiam tunc exorta est hominibus in mundo, ex qua illis nova illustratio.

31. Vidi tunc Angelicos spiritus ex Inferis assurgentes in multa copia, & elevatos in cælum, qui fuerunt Oves, ibi reservati & custoditi a Domino a sæculis retro, ne venirent in malignam sphæram a Draconicis effluentem, & charitas eorum suffocaretur. Hi sunt qui intelliguntur in Verbo per exeuntes e sepulchris; tum per animas occisorum propter testimonium Jesu, qui evigilarunt; & per illos qui e resurrectione prima sunt.

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

CONTINUATIO DE MUNDO SPIRITUALI.

De Mundo Spirituali.

32. DE Mundo Spirituali actum est in singulari Opere de CÆLO ET INFERNO, in quo descripta sunt plura istius Mundi, & quia omnis homo post mortem in illum Mundum venit, descriptus etiam ibi est status ejus tunc. Quis non novit, quod homo post mortem victurus sit, quia natus est homo, & creatus ad imaginem Dei, & quia Dominus in Verbo suo id docet: sed qualis vita ei futura est, hactenus ignotum fuit; creditum est, quod tunc esset Anima, de qua non aliam ideam ceperunt, quam sicut de aere aut æthere, in quo cogitativum quid resideret, absque visu qualis est oculi, absque auditu qualis est auris, & absque loquela qualis est oris; cum tamen homo est homo æque post mortem, & talis homo ut non sciat aliter quam quod adhuc sit in priori mundo; videt, audit, loquitur sicut in priori mundo; ambulat, currit, sedet sicut in priori mundo; edit & bibit sicut in priori mundo; dormit & evigilat sicut in priori mundo; delitio conjugiali fruitur sicut in priori mundo; verbo est homo quoad omnia & singula: ex quo patet, quod mors sit modo continuatio vitæ, & quod sit modo transitus.

33. Quod homo hunc suum statum post mortem non sciverit, sunt plures causæ, inter illas etiam est, quod non potuerit illustrari, tam parum fidei apud illum fuit de Immortalitate animæ; ut constare potest ex multis, etiam Eruditis, qui se credunt bestiis similes, & modo perfectiores illis quod possint loqui, & ideo corde suo negant vitam post mortem, tametsi illam ore fatentur: ex qua illorum cogitatione ita sensuales facti sunt, ut non potuerint credere, quod homo sit homo post mortem, quia illum oculis suis non vident, dicunt enim

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

enim quomodo poteſt anima talis eſſe. Aliter qui ſe victuros poſt mortem credunt, illi interius in ſe cogitant, quod in cælum venturi ſint, delitiis fruituri cum angelis, paradiſos cæleſtes viſuri, & in veſtibus albis ſtaturi coram Domino, & plura; hæc interior eſt illorum cogitatio; exterior poteſt divagari ab illa, quando cogitant de anima ex hypotheſi Eruditorum.

34. Quod homo ſit æque homo poſt mortem, tametſi non coram oculis apparet, conſtare poteſt ex Angelis viſis Abrahamo, Guideoni, Danieli, & aliis prophetis, ex Angelis viſis in ſepulchro Domini, ac poſtea multoties Johanni in Apocalypſi; cumprimis ex Ipſo Domino, qui quod eſſet Homo oſtendit diſcipulis per tactum & per eſum, & tamen coram oculis illorum inconſpicuus factus eſt. Quod viderint, erat, quia tunc aperti ſunt oculi ſpiritus illorum; & cum hi aperiuntur, apparent illa quæ in Mundo ſpirituali ſunt, æque clare ſicut illa quæ in Mundo naturali.

35. Quia Domino placuit aperire mihi oculos ſpiritus mei, ac apertos tenere nunc per novendecim annos, datum eſt videre illa quæ in Mundo ſpirituali ſunt, & quoque illa deſcribere. Aſſeverare poſſum, quod illa non ſint Viſiones, ſed quod ſint Visa in omni vigilia.

36. Differentia inter hominem in Mundo naturali, & hominem in Mundo ſpirituali, eſt quod hic homo corpore ſpirituali indutus ſit, ille autem corpore naturali, & homo ſpiritualis videt hominem ſpiritualem æque clare ac homo naturalis videt hominem naturalem; ſed non poteſt homo naturalis videre hominem ſpiritualem, nec homo ſpiritualis videre hominem naturalem, propter differentiam inter naturale & ſpirituale, quæ qualis eſt, deſcribi poteſt, ſed non paucis.

37. Ex viſis per tot annos, poſſum ſequentia referre; quod in Mundo ſpirituali ſint æque Terræ ſicut in Mundo naturali, quodque ſint Colles & Montes, tum Planities & Valles; & quoque Fontes & Fluvii, tum Lacus & Maria: quod ſint Paradiſi & Horti, tum Luci & Sylvæ: quod ſint Palatia & Domus; tum quod ſint Scripturæ & Libri: quodque ſint Functiones & Negotiationes; & quod ſint Lapides pretioſi, Aurum & Argentum: verbo, quod ſint omnia & ſingula quæcunque in Mundo naturali, & illa in Cælis infinite perfectiora.

38. Sed differentia in genere hæc eſt, quod omnia quæ in Mundo ſpirituali ſunt, ex origine ſpirituali ſint, & inde quoad eſſentiam ſpiritualia, ſunt ex Sole ibi qui eſt purus Amor; & quod omnia quæ in Mundo naturali ſunt, ex origine naturali ſint, & inde quoad eſſentiam naturalia, ſunt enim ex Sole ibi qui eſt purus Ignis. Ex eo eſt, quod homo ſpiritualis nutriendus ſit cibo ex origine ſpirituali, ſicut homo naturalis cibo ex origine naturali. Plura videantur in Opere de Cælo et Inferno.

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

De Anglis in Mundo ſpirituali.

39. Sunt duo ſtatus cogitationis apud hominem, Externus & Internus; homo in Externo eſt in Mundo naturali, in Interno eſt in Mundo ſpirituali; hi ſtatus unum faciunt apud bonos, ſed non unum apud malos; qualis homo quoad Internum ſuum eſt, raro patet in Mundo naturali, quoniam ab infantia voluit moralis eſſe, & didicit videri, ſed in Mundo ſpirituali clare apparet qualis eſt; lux ſpiritualis hoc detegit, eſt quoque homo tunc ſpiritus, & ſpiritus eſt internus homo. Nunc quia mihi datum eſt in illa luce eſſe, & ex illa videre, quales Interni homines ſunt ab uno Regno & ab altero, hoc per commercium plurium annorum cum angelis & ſpiritibus, me oportet, quia intereſt, id manifeſtare: hic modo aliquid de nobili Gente Anglica

40. Meliores ex Gente Anglica in Centro omnium Chriſtianorum ſunt, videatur ſupra n. 20. quod in centro ſint, eſt ex cauſa, quia illis lux intellectualis interior eſt; hæc non apparet alicui in Mundo naturali, ſed apparet conſpicue in Mundo ſpirituali; trahunt hanc lucem a libertate cogitandi, & inde loquendi & ſcribendi, in qua ſunt: apud alios, qui in tali libertate non ſunt, lux intellectualis, quia non habet exitum, offunditur. Verum lux illa non eſt activa ex ſe, ſed fit activa ex aliis, imprimis a viris famæ & auctoritatis apud illos; ut primum ab his aliquid dicitur, aut ab illis approbatum legitur, lux illa exſplendeſcit, & raro prius. Propter hanc cauſam illis in Mundo ſpirituali præficiuntur Moderatores, & dantur Sacerdotes incluti fama ex eruditione ac præpollente ingenio, quorum mandatis & monitis ex illa ſua indole benevole obediunt.

41. Raro exeunt e Societate ſua, quia illam amant ſicut in Mundo Patriam: eſt quoque ſimilitudo animorum inter illos, ex qua cum amicis qui ex patria eorum ſunt, ligant familiaritatem, & raro cum aliis: mutuam opem etiam invicem ferunt; ac ſinceritatem amant.

42. Sunt binæ Urbes magnæ ſimiles Londino, in quas plerique Angli poſt mortem veniunt; has datum eſt videre, & quoque perambulare. Medium iſtius Urbis eſt ubi in Londino Angliæ Conventus mercatorum, qui vocatur Exchange; ibi habitant Moderatores: ſupra illud medium eſt Oriens; infra illud eſt Occidens; a latere dextro eſt Meridies; a latere ſiniſtro eſt Septentrio. In Plaga orientali habitant qui vitam charitatis præ reliquis egerunt, ibi ſunt Palatia magnifica; in Plaga meridionali habitant ſapientes, apud quos plura ſplendida ſunt; in Plaga ſeptentrionali habitant qui præ cæteris amant libertatem loquendi & ſcribendi; in Plaga occidentali habitant qui fidem profitentur; ad dextrum ibi in hac Plaga eſt introitus in hanc urbem; & eſt exitus ab illa; illi qui male vivunt, emittuntur ibi. Presbyteri, qui in Occidente ſunt, qui, ut dictum eſt, fidem profitentur, non audent per plateas magnas, ſed per vicos anguſtiores, intrare urbem, quoniam non alii habitatores in ipſa urbe tolerantur, quam qui in fide charitatis ſunt. Audivi conqueſtos de Prædicatoribus in Occidente, quod ſermones ſuos tali arte & ſimul eloquio concinnent,

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

cinnent, ac ignotam illis justificationem per fidem, involvant, ut nesciant num bonum faciendum sit vel non; prædicant bonum intrinsecum, & id separant a bono extrinseco, quod quandoque vocant meritorium, & sic non acceptum Deo, sed usque vocant bonum, quia utile: sed cum illi, qui in Plaga Urbis orientali & meridionali habitant, tales sermones mysticos audiunt, exeunt Templis; & Prædicatores postea deprivantur sacerdotio.

43 Altera magna Urbs Londino similis non in Meditullio Christiano, de quo n. 20. sed extra illud in septentrione jacet: in illam post mortem veniunt illi, qui interius mali sunt: in medio ejus est aperta communicatio cum Inferno, a quo etiam per vices absorbentur.

44. Quondam audivi Presbyteros ex Anglia de sola fide inter se loquentes; & vidi quoddam Simulachrum ab illis factum, quod solam fidem repræsentaret: hoc apparuit in obscuro lumine sicut magnus Gigas, & coram oculis illorum sicut homo pulcher; sed cum immissa est lux e Cælo, apparuit illud superius sicut monstrum, & inferius sicut serpens, non absimile secundum descriptionem idolo Philisthæorum Dagoni: quo viso recesserunt, & ab adstantibus conjectum est in stagnum.

45. Ex illis qui ex Anglia in Mundo spirituali sunt, perceptum est, quod illis sit sicut duplex Theologia, una ex doctrina fidei, & altera ex doctrina vitæ, ex doctrina fidei illis qui initiantur in sacerdotium, ex doctrina vitæ illis qui non sacerdotio initiati sunt, & vulgo vocantur Laici: hæc doctrina exstat in Oratione quovis die sabbathi prælecta in Templis coram illis qui Sacramentum Cænæ obeunt, in qua aperte dicitur, quod si mala ut peccata non fugiunt, se in damnationem æternam conjiciant, & quod alioquin, si ad sanctam Communionem accederent, diabolus in illos intraturus sit sicut in Judam. De hac doctrina vitæ non concordante cum doctrina fidei eorum, quandoque loquutus sum cum sacerdotibus, qui nihil respondebant, sed cogitabant quæ non eloqui ausi sunt. Orationem illam videas in DOCTRINA VITÆ PRO NOVA HIEROSOLYMA, n. 5, 6, 7.

46. Sæpius vidi aliquem Anglum, qui celebris factus est per Librum, quem ante annos ediderat, in quo conjunctionem fidei & charitatis per influxum & operationem interiorem Spiritus Sancti constabilire fategerat, tradens quod ille influxus inexpressibili modo & non conscio homine afficeret, sed non tangeret minus manifeste moveret voluntatem aut excitaret cogitationem hominis ad faciendum aliquid sicut a se, nisi permissive, propter causam ne aliquid hominis in Divinam Providentiam una intraret; tum quod sic mala coram Deo non apparerent; ita excludens exercitia charitatis externa propter aliquid salutis, sed favens illis propter bonum publicum: quia argumentationes ejus erant ingeniosæ, & non visus est anguis in herba, Liber ille sicut ortodoxissimus receptus est. Idem Auctor post excessum e mundo simile dogma retinuit, nec ab illo potuit recedere quia apud se confirmatum. Cum illo loquuti sunt Angeli, & dixerunt, quod illud non veritas esset, sed modo ingeniositas cum facundia; & quod Veritas sit, quod homo malum fugere & bonum facere debeat sicut a se, cum agnitione tamen quod sit a Domino, & quod fides antea non sit, minus

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

minus adhuc illa cogitatio, quam vocat fidem: & quia hoc ejus dogmati repugnabat, permissum est ei ex sua sagacitate adhuc inquirere, num talis influxus incognitus & operatio interna absque operatione externa hominis detur; visus est tunc intendere mentem, & in cogitatione pervagari vias, semper inpersuasione, quod homo non aliter redintegretur & salvetur; sed quoties ad finem viæ pervenit, aperti sunt ei oculi, & vidit se errantem, quod etiam coram præsentibus fassus est. Vidi illum per biennium ita vagantem, & in fine viarum fatentem quod non detur talis influxus, nisi remotum sit malum in externo homine, quod fit per fugere mala ut peccata sicut a se ipso; & audivi illum tandem dicentem, quod ex fastu propriæ intelligentiæ insanirent omnes, qui in hæresi illa se confirmant.

47. Loquutus sum cum MELANCHTONE, & tunc quæsivi illum in quo statu esset, ad quod respondere non voluit; quare informatus sum ab aliis de sorte ejus, quæ est quod per vices in Camera saxea lacunata sit, & per vices in Inferno; & quod in camera propter frigus pelle ursina appareat indutus, & quod advenas e mundo, qui illum propter nominis ejus famam adire volunt, in lacunar suum non admittat propter immunditiem ibi. Loquitur adhuc de sola fide, quam præ aliis in mundo stabilivit.

De Hollandis in Mundo spirituali.

48 18. Supra n. 20 dictum est, quod Christiani, apud quos Verbum legitur & Dominus colitur, in Medio Gentium & Populorum totius Orbis spiritualis sint, ex causa, quia maxima Lux spiritualis apud illos est, & Lux inde sicut a Centro propagatur in omnes peripherias usque ad ultimas, ac illustrat, secundum illa quæ in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA n. 104 ad 113, dicta sunt. In hoc Medio Christiani Reformati sortiti sunt loca secundum receptionem Lucis spiritualis a Domino; & quia Angli lucem illam in intellectuali parte apud se reconditam habent, ideo in intimo istius Medii sunt; & quia Hollandi Lucem illam lumini naturali propius conjunctam tenent, & inde non apparet apud illos tale niveum lucis, sed loco ejus aliquod non transparens, receptivum rationalitatis ex spirituali luce & simul ex spirituali calore, in Meditullio illo Christiano habitationes nacti sunt in Oriente & Meridie, in Oriente ex facultate recipiendi calorem spiritualem, qui illis est charitas, & in meridie ex facultate recipiendi lucem spiritualem, quæ illis est fides. Quod Plagæ in Mundo spirituali non sint sicut Plagæ in Mundo naturali, & quod habitationes secundum plagas sint habitationes secundum receptionem fidei & amoris, & quod in Oriente sint qui præstant amore & charitate, & in Meridie qui præstant intelligentia & fide, videatur in Opere de CÆLO ET INFERNO n. 141 ad 153. Causa quod in illis Meditullii Christiani plagis sint, est quoque quia Negotiatio est amor finalis eorum, & pecunia amor medius inserviens, & ille amor est spiritualis: at ubi pecunia est amor finalis, & negotiatio amor medius inserviens, est amor naturalis, & trahit ex avaritia.

In

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

In ſupradicto amore ſpirituali, qui in ſe ſpectatus eſt bonum commune, in quo & ex quo eſt bonum Patriæ, ſunt Hollandi præ aliis.

49. Hollandi principiis ſuæ Religionis firmius inhærent quam alii, nec dimoventur ab illis, & ſi convincuntur quod hoc aut illud non concors ſit, uſque non affirmant, ſed vertunt ſe retro, & permanent immoti; ita quoque amovent ſe ab intuitione veri interiore; rationale enim ſuum de Spiritualibus concludunt ſub obedientia. Quia tales ſunt, ideo illi poſt mortem, dum in Mundum ſpiritualem veniunt, prorſus aliter præparantur ad recipiendum Spirituale Cæli, quod eſt Divinum Verum, quam reliqui; non docentur, quia non recipiunt, ſed deſcribitur illis Cælum, quale eſt, & dein datur illis aſendere illuc, ac videre illud, & tunc quicquid concordat cum genio illorum, infunditur, ſic demiſſi redeunt ad ſuos cum pleno deſiderio Cæli. Si tunc non recipiunt hoc Verum, quod Deus unus ſit perſona & eſſentia, & quod ille Deus ſit Dominus, & quod in Ipſo ſit Trinitas, tum hoc Verum quod Fides & Charitas cognitione & ſermone non faciant quicquam abſque vita illarum, & quod illæ dentur a Domino dum fugiunt mala ut peccata: ſi ad illa, cum docentur, ſe avertunt, & uſque cogitant de Deo, quod ſint tres quoad Perſonas, & de Religione ſolum quod ſit, rediguntur in miſerias, & aufertur illis negotiatio, uſque dum vident ſe ad incitas redactos; & tunc perducuntur ad illos qui abundant omnibus, & apud quos negotiatio floret, ac ibi inſinuatur illis e Cælo cogitatio, unde eſt quod tales ſint, & ſimul reflexio ſuper fidem eorum de Domino, & ſuper vitam eorum, quod averſentur mala ut peccata; parum etiam inquirunt, & percipiunt concordantiam cum propria cogitatione & reflexione: hoc fit per vices: tandem ex ſemet cogitant, quod, ut exeant a miſeriis, ſimiliter credendum ſit & ſimiliter faciendum; tunc ſicut recipiunt illam fidem & vivunt illam charitatis vitam, datur illis opulentia & jucunditas vitæ: hoc modo illi, qui in mundo aliquam vitam charitatis egerunt, emendantur a ſe, & non ab aliis, ac præparantur ad Cælum. Hi poſtea conſtantiores fiunt aliis, adeo ut dici queant Conſtantiæ, nec ſe ex aliqua ratiocinatione, fallacia, obſcuritate inducta per ſophiſtica, & ex viſione præpoſtera a ſolis confirmationibus, abduci patiuntur.

50. Hollandi dignoſcuntur probe ab aliis in Mundo ſpirituali, quia in ſimilibus veſtibus apparent ſicut in Mundo naturali, cum differentia quod in nitidioribus illi, qui receperunt fidem & vitam illam ſpiritualem. Quod in ſimilibus veſtibus appareant, eſt cauſa quia in principiis Religionis ſuæ conſtanter manent; & in Mundo ſpirituali omnes veſtiuntur ſecundum illa; quare veſtimenta alba & ex byſſo ſunt illis qui in Divinis veris ſunt.

51. Urbes in quibus Hollandi habitant, ſunt ſingulari modo cuſtoditæ; omnes Plateæ in illis ſunt tectæ, & in plateis ſunt portæ, propter cauſam ne ſpectentur e petris & collibus circum; hoc fit illis propter inſitam illis prudentiam occultandi ſua conſilia, & non divulgandi ſuas intentiones; nam talia in Mundo ſpirituali per inſpectiones protrahuntur. Cum aliquis animo exploraudi ſtatum illorum in Urbem venit, ille dum exiturus eſt, ducitur ad portas platearum clauſas, & ſic reducitur & ducitur ad plures, & hoc uſque ad ſum-

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

mam moleſtiam, & tunc emittitur; hoc ob finem ne redeat. Uxores, quæ imperium ſuper maritos affectant, habitant ad unum latus urbis, nec ſæpius conveniunt, quam cum invitantur, quod fit civili modo; & tunc illas etiam deducunt ad domos, ubi conjuges abſque imperio unius ſuper alterum vivunt, & oſtendunt quam ornatæ & mundæ illorum domus ſunt, & quam jucundum vitæ illis eſt, & quod hæc ſint ex mutuo & conjugiali amore: illæ, quæ ad hæc attendunt & afficiuntur, deſiſtunt a dominio, & una vivunt, & tunc nanciſcuntur habitationem propius ad medium, & vocantur Angeli. Cauſa eſt, quia amor conjugialis eſt amor cæleſtis, qui eſt abſque imperio.

53. Diebus Ultimi Judicii vidi ex Urbibus ibi, & ex villis & terris circum, ex illa Natione ejectos ad plura millia, qui in mundo nihil boni fecerunt ex aliqua religione ſeu conſcientia, ſed ſolum propter famam ut ſinceri apparerent lucri cauſa; tales enim, cum intuitio famæ & lucri aufertur, quod fit in Mundo ſpirituali, tunc ruunt in omne nefas, ſpoliando obvios quoſcunque offendunt, dum in campis & extra urbes ſunt. Illos conjectos vidi in Voraginem igneam tendentem ſub tractum orientalem, & in Cavernam tenebroſam tendentem ſub tractum meridionalem. Hæc ejectio viſa eſt Anno 1757 die 9 Jan. Remantibus illis apud quos erat religio, & ex religione conſcientia.

54. Loquutus ſum, ſed modo ſemel, cum Calvino; erat in Societate cæli quæ ſpectatur antrorſum ſupra caput; & dixit, quod non conſenſerit cum Luthero & Melanchtone de Sola fide, quoniam in Verbo toties nominantur Opera, & mandatur Facere, & quod ideo fides & opera conjungenda ſint. Quod Calvinus in ſua ſocietate acceptus ſit, quia probus & non turbas facit, audivi ex uno Moderatore iſtius ſocietatis.

55. Qualis ſors Luthero eſt, alibi dicetur, quia multoties illum audivi & vidi; ſolum hoc, quod ſæpius voluerit recedere a ſua ſola fide, ſed incaſſum; & quod ideo adhuc ſit in Mundo ſpirituum, qui eſt medius inter cælum & infernum; & quod quandoque ibi dura patiatur.

De Pontificiis in Mundo ſpirituali.

56. Actum eſt de Pontificiis, & de Ultimo Judicio ſuper illos, in Opuſculo de Ultimo Judicio, n. 53 ad 64. Pontificii in Mundo ſpirituali apparent circum Reformatos, ac per intervallum diſtincti ſunt, quod non permittitur tranſire; ſed uſque illi, qui ex Jeſuitico Ordine ſunt, per clandeſtinas artes parant ſibi communicationes, & quoque per ſemitas ignotas ablegant emiſſarios, ut ſeducant; ſed indagantur, & poſtquam puniti ſunt, vel remittuntur ad ſocios, vel conjiciuntur in infernum.

57. Poſt Ultimum Judicium ſtatus illorum ita mutatus eſt, quod non liceat congregare ſe in cætus, ſicut prius; ſed cuivis amori tam bono quam malo ordinatæ ſunt viæ, quas illi, qui e mundo alluunt, illico intrant, ac vadunt ad Societatem amori illorum correſpondentem; ſic feruntur mali ad ſocietatem quæ in conjunctione eſt cum infernis, ac boni in ſocietatem quæ in conjunctione

eſt

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

eſt cum cælis; ſic cautum eſt, ne ſicut prius artificiales cælos ſibi forment. Tales ſocietates in Mundo ſpirituum, qui eſt medius inter Cælum & Infernum, ſunt innumeræ, ſunt enim totidem, quot ſunt genera & ſpecies affectionum bonarum & malarum: ac interea, antequam vel in Cælum elevantur, vel in infernum dejiciuntur, ſunt in conjunctione ſpirituali cum hominibus mundi, ex cauſa, quia hi etiam in medio ſunt inter cælum & infernum.

58. Omnes illi ex Pontificiis, qui non prorſus idololatræ fuerunt, & ex religioſo ſuo ex corde ſincero præſtiterunt bona, & ad Dominum etiam ſpectaverunt, perducuntur ad Societates in confiniis ad Reformatos inſtitutas, & ibi inſtruuntur, ac coram illis legitur Verbum, & prædicatur Dominus; & illi qui veritates recipiunt & applicant vitæ, elevantur in Cælum, & fiunt Angeli. Tales ſocietates ex illis ſunt plures in unaquavis plaga, & undequaque cuſtoditæ a doloſis & aſtutis machinationibus monachorum, aque fermento Babylonico. Præterea omnes infantes illorum in Cælo ſunt, qui, quia educati per angelos ſub auſpicio Domini, ignorant falſa religionis parentum.

59. Omnes qui in Mundum ſpiritualem e terris veniunt, in confeſſione fidei & in religione Patriæ ſuæ in principio tenentur; ita quoque Pontificii; quare ſemper aliquem repræſentativum Pontificem ſibi præpoſitum habent, quem etiam ſimili ritu adorant, quo in Mundo: raro aliquis Papa in mundo agit ibi Pontificem; ſed uſque ille qui ante viginti annos Romæ Papa fuit, illis præfuit, ex cauſa quia ille, corde ſuo fovit quod Verbum ſanctius eſſet quam creditur, & quod Dominus colendus eſſet: ſed ille, poſtquam per aliquot annos functus eſt Pontificali munere, abdicavit ſe illo, & contulit ſe ad Reformatos Chriſtianos, inter quos adhuc eſt, & vita beata fruitur. Datum eſt loqui cum illo, & dixit, quod Dominum ſolum adoret, quia Ipſe eſt Deus, Cui poteſtas eſt ſuper Cælum & Terram, & quod invocationes ſanctorum eſſent nugæ, tum etiam Miſſæ eorum; & quod in mundo intenderit reſtaurare illam Eccleſiam, ſed quod non potuerit propter cauſas, quas etiam dixit. Vidi illum, quando Urbs magna ſeptentrionalis, in qua fuerunt Pontificii, die Ultimi Judicii deſtruebatur, in lectica exportatum, & in locum ſecurum delatum. Aliud prorſus evenit Succeſſori ejus.

60. His adjicere licet aliquod Memorabile. Datum eſt loqui cum LUDOVICO XIV Avo Regis Galliarum hodie regnantis, qui, dum in mundo fuit, coluit Dominum, legit Verbum, & Pontificem modo pro Supremo Eccleſiæ agnovit; quare in Mundo ſpirituali in multa dignitate eſt, ac optimam Societatem Gentis Gallicæ regit. Quondam illum vidi ſicut deſcendentem per ſcalas, & poſtquam deſcendit, audivi illum dicentem, quod videretur ſibi ſicut Verſaliis eſſet, & tunc factum eſt ſilentium per bihorium circiter, quo peracto dixit ſe loquutum eſſe cum Rege Galliæ Nepote ſuo de Bulla Unigenitus, quod deſiſteret a priori ſuo conſilio, & illam non acceptaret, quia detrimentoſa Genti Gallicæ; dixit quod hoc inſinuaverit cogitationi ejus profunde. Hoc factum eſt Anno 1759, die 13 Decemb. veſperi circa horam octavam.

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

De Sanctis Pontificiorum in Mundo spirituali.

61. Notum est, quod homini a parentibus sit malum insitum seu hæreditarium, sed paucis notum est, in quo consistit: consistit in amore imperandi, qui talis est, ut quantum ei laxantur fræna, tantum erumpat, usque ut flagret cupidine imperandi super omnes, & tandem ut velit invocari & coli sicut Deus. Hic amor est Serpens, qui decepit Evam & Adamum, dixit enim ad mulierem „ *Novit Deus quo die comederitis de fructu arboris, aperientur oculi vestri, & TUNC ERITIS SICUT DEUS* „ Genes. III. 4. 5: quantum itaque homo relaxatis frænis in hunc amorem ruit, tantum se avertit a Deo, & convertit ad semet, & fit atheus; & tunc possunt Divina Vera, quæ sunt Verbi inservire pro mediis, sed quia finis est dominium, media non plus cordi sunt, quam prout inserviunt. Hæc causa est, quod qui in medio & qui in ultimo gradu amoris imperandi sunt, omnes in inferno sint, est enim ibi ille amor diabolus, ubi aliqui tales sunt, ut ne quidem sustineant aliquem loquentem de Deo.

62. Hic amor est illis ex Gente Pontificia qui ex æstro jucundi amoris ejus dominati sunt, & Verbum contemserunt, ac illi prætulerunt dictamina Papæ, hi devastantur prorsus quoad externa, usque ut nihil Ecclesiæ amplius sciant, & tunc dejiciuntur in infernum, & fiunt diaboli. Est quoddam infernum separatum pro illis, qui invocari volunt ut dii, ubi in tali phantasia sunt, ut non videant quod est, sed quod non est; est delirium illis quale est quibusdam in febri maligna, qui vident floccos in aere, & in camera ac super integumento lecti sui, quæ non sunt. Hoc malum pessimum intelligitur per *Caput serpentis, quod conculcatur a Semine mulieris, & quod lædit calcaneum ejus* „ Genes. III. 15; calcaneus Domini, qui est Semen mulieris, est Divinum procedens in ultimis, quod est Verbum in sensu literæ.

63. Quoniam homo ex hæreditario talis est, ut velit imperare, & successive sicut relaxantur lora, super plures, & tandem super omnes, ac intimum ejus amoris est, ut velit invocari & coli ut Deus, ideo omnes qui per Bullas papales sanctificati sunt, removentur ab oculis aliorum & reconduntur, & aufertur illis omne commercium cum cultoribus illorum; causa est, ne radix illa malorum pessima apud illos excitetur, & in deliria phantastica, qualia sunt supradicti inferni, inferantur. In talibus deliriis sunt illi, qui, dum in mundo vixerunt, sanctos fieri post mortem ut invocentur, studio affectarunt.

64. Multi ex Pontificia Gente, imprimis Monachi, cum in Mundum spiritualem veniunt, quærunt Sanctos, quisque Sanctum sui Ordinis, sed non inveniunt, quare mirantur; sed post instruuntur ab aliis, quod sint intermixti vel illis qui in cælis sunt vel illis qui in infernis, quisque secundum suam vitam in mundo, & quod utrobivis nihil sciant de cultu & invocatione sui, & quod qui sciunt & volunt invocari, sint in Inferno illo separato & deliro. Cultus Sanctorum est talis abominatio in cælo, ut dummodo audiunt illum, horrescant, quoniam quantum alicui homini addicatur cultus, tantum cultus derogatur Domino;

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

mino; ſic enim non Solus poteſt coli; & ſi Dominus non Solus colitur, fit diſcriminatio, quæ tollit communionem, & fluentem ex illa felicitatem vitæ.

65. Ut ſcirem quales Sancti Ponctificiorum ſunt, propter cauſam ut notum facerem, educti ſunt ex inferiore terra uſque ad centum, qui noverunt de ſanctificatione ſua, aſcenderunt a tergo, modo aliqui ante faciem, & cum uno ex his loquutus ſum, quem dixerunt fuiſſe Xaverium; hic dum mecum loquebatur, erat prorſus fatuus, narrare tamen potuit, quod in loco ſuo, ubi incluſus manet, non fatuus ſit, ſed quod fatuus fiat, quoties cogitat quod ſanctus ſit. Simile mnrmur audivi ab illis qui a tergo erant.

66. Aliter eſt Sanctis ita dictis in Cælo, hi prorſus nihil ſciunt de eo quod in terris fit; nec cum illis loquutus ſum, ne aliqua idea de ea re apud illos intraret. Solum quondam præteriit Mater Domini Maria, & viſa ſuper caput in veſtitu albo, & tunc paulum morata dixit, quod Mater Domini fuerit, & quidem ab illa natus, ſed factus Deus exuerit omne Humanum ex illa, & quod ideo nunc adoret Ipſum ut ſuum Deum, & quod nolit ut quiſquam Ipſum pro Filio ſuo agnoſcat, quia in Ipſo omne Divinum eſt.

67. His adjiciam hoc memorabile: apparet quandoque Pariſienſibus qui in Mundo ſpirituali in ſocietate ſunt, quædam Mulier in media altitudine, in veſtitu ſplendido, & in facie tanquam ſancta, & dicit ſe eſſe Genovevam: ſed cum quidam incipiunt adorare illam, tunc illico mutatur ejus facies, & quoque veſtis, & fit ſimilis fæminæ vulgari, & reprehendit illos quod velint adorare fæminam, quæ apud ſocias ſuas non plus in æſtimatione eſt quam ſicut ancilla, mirans quod homines mundi talibus nugis captentur. Dicebant angeli quod illa appareat propter ſeparationem cultorum hominis & cultorum Domini ibi.

De Mahumedanis in Mundo ſpirituali; & de Mahumede.

68. Mahumedani in Mundo ſpirituali apparent poſt Pontificios in Occidente, & faciunt quaſi ambitum: quod ibi appareant, eſt præcipue quia Dominum agnoſcunt pro Maximo Propheta, Filio Dei, Sapientiſſimo omnium, qui miſſus in mundum ut doceret homines. Quiſque in illo Mundo habitat ad diſtantiam a Meditullio Chriſtiano, ubi ſunt Reformati, ſecundum confeſſionem Domini ac Unius Dei; nam illa conjungit animos Cælo, & facit diſtantiam ab Oriente, ſuper quo eſt Dominus; illi qui non in illa Confeſſione ſunt corde ex vita mala, ſub illis in Infernis ſunt.

69. Quoniam Religio facit intimum hominis, & ex intimo ſunt reliqua ejus; & quoniam Mahumedes verſatur in animis illorum una cum religione, ideo ſemper aliquis Mahumedes in conſpectu illorum ponitur; ac ut vertant facies ſuas ad Orientem, ſuper quo eſt Dominus, ponitur ille in Meditullio Chriſtiano infra. Non eſt ipſe Mahumedes qui Alcoranum ſcripſit, ſed alius qui munere illo fungitur; nec eſt idem ſemper, ſed mutatur: quondam fuit unus ex

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

Saxonia, qui captus ab Algiriensibus factus est Mahumedanus; is quia Christianus etiam fuerat, actus est ad loquendum coram illis de Domino, quod non fuerit Filius Josephi, ut crediderunt in mundo, sed Filius Ipsius Dei, per quod insinuavit eis ideam de unitate Personæ & Essentiæ Domini cum Patre. Isti Muhumedi successerunt postea alii, qui acti sunt ad similia loquendum; inde multi ex illis ad vere Christianam fidem de Domino accedunt, & qui accedunt, feruntur ad Societatem propiorem Orienti, ubi datur communicatio cum Cælo, in quod etiam postea elevantur. In loco, ubi Mahumedes ille sedem habet, apparet ignis sicut faculæ, ut noscatur; sed ille ignis non conspicuus est nisi quam Mahumedanis.

70. Ipse Mahumedes, qui scripsit Alcoranum, non in conspectum hodie venit; dictum mihi est, quod primis temporibus præfuerit illis, sed quia voluit dominari super omnia religionis illorum ut Deus, quod e sede sua, qnam sub Pontificiis habuit, ejectus sit, & ad latus dextrum juxta meridiem demissus. Quondam aliquæ societates ex Mahumedanis excitatæ sunt ex malitiosis ad agnoscendum Mahumedem pro Deo; ut seditio sedaretur, sublatus est Mahumedes ab inferis, ac ostensus, & tunc quoque mihi visus est; apparuit similis spiritibus corporeis, quibus nulla perceptio interior est, facie ad nigrum vergente; & audivi illum loquentem hæc verba solum, ego sum Mahumedes vester: & mox quasi subsidens in locum suum rediit.

71. Quod Religionem illorum attinet, hæc talis permissa est, quia conveniens genio Orientalium, quare etiam in tot Regnis recepta est; & quia in illo Præcepta decalogi simul Religionis facta sunt; & aliquid ex Verbo etiam in illo erat; & imprimis quia Dominus pro Filio Dei, & Sapientissimo omnium agnitus est. Per illam quoque Idololatrica multarum Gentium dissipata sunt. Quod non interior Religio illis per Mahumedem aperta sit, fuit propter Polygamiam, quæ immundum versus Cælum exhalat; conjugium enim mariti cum una uxore correspondet Conjugio Domini & Ecclesiæ.

72. Sunt multi ex illis receptibiles veri, & vident in rationibus justitiam, quod ex colloquiis cum illis in Mundo spirituali animadvertere potui: loquutus sum cum illis de Deo uno, de Resurrectione, & de Conjugio. De Deo uno dixerunt, quod non comprehendant Christianos loquentes de Trinitate, & dicentes quod tres Personæ sint, & unaquævis Deus, & quod usque dicant quod Deus unus sit: sed respondi illis, quod Angeli in Cælo, quod ex illis est, non loquantur ita, sed quod Deus unus sit Persona & Essentia in quo Trinum, & quod homines in terris hoc Trinum appellent tres Personas; & quod illud Trinum sit in Domino; ut confirmarentur, perlegi coram illis ex Matthæo & Luca, quæ ibi de conceptione Domini ex Deo Patre dicuntur, tum ubi Ipse docet quod Pater & Ipse unum sint; his auditis perceperunt rem, dicentes quod, sic Divina Essentia Ipsi sit. De Resurrectione dicebant, quod non comprehendant Christianos loquentes de statu hominis post mortem, quod faciant animam similem vento aut aeri, & inde in nullo delitio ante reunitionem cum corpore die Ultimi Judicii: sed respondi, quod modo aliqui ita loquantur, sed quod qui ex illa secta non sunt, credant se post mortem in cælum venturos, cum

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

cum angelis loquuturos, & gaudio cæleſti fruituros, quod non abſtrahunt a ſimili gaudio quod illis eſt in mundo, tametſi non deſcribunt illud; & quod hodie revelentur illis plura de ſtatu poſt mortem, quæ antea non ſciverunt. De CONJUGIO plura cum illis loquutus ſum, & inter illa, quod amor conjugialis ſit amor cæleſtis, non dabilis quam inter duos, & quod conjunctio cum pluribus uxoribus cæleſte illius amoris non admittat; audiverunt rationes, & juſtitiam in illis perceperunt; tum etiam hoc, quod permiſſa ſit illis Polygamia, quia Orientales ſunt, qui abſque illa permiſſione præ Europæis flagraviſſent in ſpurca adulteria, & periiſſent.

De Africanis & de Gentibus in Mundo ſpirituali.

73. Gentes, quæ non aliquid norunt de Domino, circum illos qui norunt, apparent; uſque ita, ut ultimas peripherias faciant non alii quam qui prorſus idololatræ ſunt, ac ſolem & lunam adoraverunt. Illi autem, qui unum Deum agnoſcunt, ac præcepta, qualia ſunt in Decalogo, religionis & vitæ faciunt, conſpiciuntur in regione ſuperiore, & ſic immediatius communicant cum Chriſtianis in Meditullio; nam communicatio ſic non intercipitur a Mahumedanis & Pontificiis. Gentes etiam diſtinctæ ſunt ſecundum genios & facultates recipiendi lucem per cælos a Domino; ſunt enim ex illis interiores & exteriores, quod non trahunt ex ſolo natali, ſed ex religione: Africani ſunt reliquis interiores.

74. Omnes qui unum Deum Creatorem univerſi agnoſcunt & colunt, ideam Hominis de Deo habent, dicunt quod nemo aliam de Deo poſſit habere: cum audiunt, quod plures de Deo foveant ideam ſicut Nubeculæ, quærunt ubinam illi ſunt, & cum dicitur quod ſint inter Chriſtianos, negant quod dabile ſit; ſed reſpondetur, quod ſit illis talis idea ex eo, quod Deus in Verbo dicatur Spiritus, & de ſpiritu non aliter cogitant quam ſicut de particula nubis, non ſcientes quod omnis ſpiritus & omnis angelus ſit homo: at uſque exploratum eſt, num ſpiritualis illorum idea ſit ſimilis ideæ illorum naturali, & compertum eſt quod non ſimilis ſit apud illos, qui Dominum pro Deo cæli & terræ interius agnoſcunt. Audivi quendem Presbyterum ex Chriſtianis dicentem, quod nemo poſſit habere ideam Divini Humani, & vidi illum translatum ad varias Gentes ſucceſſive ad interiores & interiores, & ab illis ad Cælos eorum, & tandem ad Cælum Chriſtianum, & ubivis data eſt communicatio perceptionis interioris eorum de Deo, & animadvertit quod non alia illis idea Dei eſſet quam idea Hominis, quæ eadem eſt cum idea Divini Humani.

75. Plures Societates Gentium ſunt, imprimis ex Africanis, qui dum inſtructi ſunt per Angelos de Domino, dicunt quod non aliter poſſit eſſe, quam quod Deus Creator univerſi apparuerit in mundo, quia creavit illos, & amat illos, & quod apparitio non potuerit fieri quam uſque ad viſum ocularem in Humana forma: cum illis dicitur, quod non apparuerit ſicut ſolent angeli, ſed quod natus ſit Homo, & ſic viſus, hæſitant aliquantum & inquirunt, num natus

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

natus ſit a patre homine; & cum audiunt, quod conceptus ſit a Deo univerſi & natus a virgine, dicunt quod ſic Ipſi Divina Eſſentia ſit, quæ quia Infinita & ipſa Vita eſt, non talis homo fuerit ſicut alii; informantur poſtea ab angelis, quod homo fuerit in conſpectu ſicut alius, ſed quod cum in mundo fuit, Eſſentia Ipſius Divina, quæ in ſe Infinita & ipſa Vita eſt, rejecerit naturam finitam & hujus vitam a matre, & ſic Humanum ſuum in mundo conceptum & natum, Divinum fecerit. Hæc Africani, quia interius ſpiritualiter præ reliquis cogitant, comprehenderunt & receperunt.

76. Quoniam Africani tales ſunt etiam in mundo, ideo apud illos hodie Revelatio fit, quæ incepta vadit a medio circum, ſed non uſque ad Maria, agnoſcunt illi Dominum noſtrum pro Domino Cæli & Terræ; & rident monachos, ubi adeuntur, & Chriſtianos loquentes de triplicata Divinitate, & de ſalvatione per ſolum cogitare, dicentes quod nullus homo ſit, cui aliquis cultus, qui non vivit ſecundum religionem ſuam, & ſi non, quod non poſſit aliter quam fieri ſtupidus & malus, quia tunc non recipit aliquid e cælo: malitiam ingenioſam vocant etiam ſtupiditatem, quia non vita ſed mors eſt in illa. Audivi Angelorum gaudium ſuper illa Revelatione, quod per eam aperiatur illis communicatio cum Humano rationali hactenus per cæcum rebus fidei inductum occluſo. Dictum mihi e Cælo eſt, quod incolis Telluris iſtius per ſpiritus angelicos oretenus dictentur illa quæ in Doctrina Novæ Hieroſolymæ de Domino, de Verbo, & in Doctrina vitæ pro Nova Hieroſolyma, nunc edita ſunt.

77. Cum loquutus ſum cum Africanis in Mundo ſpirituali, apparuerunt in veſtibus ſtriatis ex lino, dicebant quod tales veſtes illis correſpondeant, & quod mulieribus illorum veſtes ſtriatæ ex ſerico. Narrabant de infantibus illorum, quod frequenter ab educatricibus quærant cibum, dicentes ſe eſurire, & cum apponuntur cibi, inſpectant & guſtant num concordent, & parum edunt; ex quibus patet, quod eſuritio ſpiritualis, quæ eſt deſiderium ſciendi genuina vera, hoc operetur; eſt enim correſpondentia. Cum volunt ſcire, in quo ſtatu quoad affectionem & perceptionem veri ſunt, extrahunt enſes, qui ſi nitent, ſciunt quod in genuinis veris ſint, & hoc ſecundum nitorem ejus; eſt quoque hoc ex correſpondentia. De Conjugio dixerunt, quod illis quidem liceat ex Lege ſua plures uxores ducere, ſed quod uſque ducant unam, quia amor vere conjugialis non eſt dividuus, ſi dividitur, perit eſſentia ejus, quæ eſt cæleſtis; & fit externus & inde laſcivus, qui brevi ſecundum diminutionem potentiæ vileſcit, & demum cum jactura ejus faſtiditur; amor autem vere conjugialis, qui eſt internus, & nihil trahit ex laſcivia, manet in æternum, ac creſcit potentia, & in ſimili gradu delitio.

78. De advenis ex Europa dixerunt, quod non admittantur, & cum aliqui, imprimis monachi, penetrant, inquirunt quid ſciunt, & cum narrant aliqua de religioſo, vocant illa nugas quæ lædunt ipſas aures, & tunc ablegant illos ad operas ut aliquid utile faciant, & ſi renuunt facere, vendunt illos in ſervos, quos ex lege illorum licet caſtigare ad libitum, & ſi ad nihil utile adigi poſſunt, venduntur demum pro pauco ad viles.

De

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

De Judæis in Mundo ſpirituali.

79. Judæi ante Ultimum Judicium ad latus ſiniſtrum Meditullii Chriſtiani in Valle ibi apparuerunt, poſt illud autem tranſlati ſunt in ſeptentrionem, & interdictum eſt commercium cum Chriſtianis, niſi cum vagis extra urbes. Sunt in illa Plaga binæ magnæ Urbes, in quas Judæi poſt mortem deducuntur, quas ante Judicium vocaverunt Hieroſolymas, ſed poſt illud alio nomine, quia poſt Judicium per Hieroſolymam intellecta eſt Eccleſia, in qua Dominus ſolus adoratur. Præficiuntur illis in ſuis urbibus Judæi converſi, qui monent illos ne contumelioſe loquantur de Chriſto; & puniunt qui uſque id faciunt. Plateæ urbium illarum ſunt oppletæ cæno uſque ad talos, & domus immundis, a quibus etiam olent; propter quæ non adiri poſſunt.

80. Apparet illis aliquoties Angelus ſupra in media altitudine cum baculo in manu; & dat credere quod ſit Moſes, ac hortatur ut deſiſtant a veſania de exſpectatione Meſſiæ etiam ibi, quia Meſſias eſt Chriſtus, qui illos & omnes regit, & quod ipſe id ſciat, & quoque aliquid de ipſo ſciverit cum in mundo fuit: quibus auditis recedunt; & maxima pars obliviſcuntur, & pauci retinent; & qui retinent, mittuntur ad ſynagogas, quæ ſunt ex converſis, ac inſtruuntur; & illis qui inſtructi recipiunt, dantur novæ veſtes pro laceris, in quibus prius fuerunt, & datur Verbum nitide ſcriptum, tum habitatio in urbe non indecora. Illi autem qui non recipiunt, dejiciuntur in inferna ſub magno illorum tractu, & multi in ſylvas & in deſerta, ubi agunt inter ſe latrocinia.

81. Negotiantur in illo Mundo ſicut in priori cum variis, imprimis cum lapidibus pretioſis, quos ſibi per vias incognitas comparant e cælo, ubi lapides pretioſi in copia ſunt. Quod negotiatio illis cum lapidibus pretioſis ſit, eſt quia Verbum in ſua originali lingua legunt, & ſenſum literæ ejus ſanctum habent, ac lapides pretioſi ſenſui literæ Verbi correſpondent; de qua correſpondentia videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n: 42. ad 45; vendunt illos gentilibus, qui circum illos in Plaga ſeptentrionali ſunt. Poſſunt etiam arte parare ſimiles, ac phantaſiam inducere quod genuini ſint; ſed hi a ſuis præfectis ſevere mulctantur.

82. Judæi præ aliis non ſciunt quod in Mundo ſpirituali ſint, ſed credunt quod adhuc in Mundo naturali, cauſa eſt, quia prorſus externi homines ſunt, & non aliquid de religione ſua cogitant ex interiori; quare etiam loquuntur ſimiliter de Meſſia ſicut prius, ut quod venturus ſit cum Davide, & fulgens diadematibus præiturus illis, ac introducturus illos in terram Canaanem, & in via, elevatione baculi, exſiccaturus fluvios quos tranſibunt; & quod Chriſtiani, quos inter ſe Gentes vocant, tunc alas veſtium illorum arrepturi, ſuppliciter orantes ut liceat comitari, & quod recepturi divites ſecundum copias, & quod etiam hi illis ſervituri ſint; non volentes ſcire, quod in Verbo per Terram Canaanem intelligatur Eccleſia, per Hieroſolymam illa quoad doctrinam, & inde per Judæos omnes illi qui ab Eccleſia Domini erunt; quod hi per Judæos in Verbo intelligantur, videatur in DOCTRINA DE SCRIPTURA SACRA n: 51. Cum

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

interrogantur num credant se etiam in Terram Canaanem venturos esse, dicunt quod tunc descensuri: cum dicitur, quod terra illa non possit capax esse omnium, respondent quod tunc ampliabitur. Cum dicitur, quod non sciant ubi Bethlechem, & quisnam ex stirpe Davidis, respondent quod venturus Messias id sciat. Cum dicitur, quomodo Messias Filius Jehovæ potest habitare cum tam malis, respondent quod non mali sint: cum dicitur quod usque Moses in Cantico suo, Deutr. XXXII, describat illos, & dicat quod pessimi sint, respondent quod Moses tunc iratus fuerit quod discederet: at cum dicitur quod Moses id scripserit ex mandato Jehovae, tunc tacent, & abeunt consultaturi. Cum dicitur, quod ortus illorum sit ex Canaanitide, & ex scortatione Judæ cum nuru sua, Genes. XXXVIII, irascuntur, dicentes, quod satis sit quod ex Abrahamo sint. Cum dicitur illis, quod interius in Verbo sensus spiritualis sit, qui agit de solo Christo, respondent quod non ita sit, sed quod interius in Verbo non sit nisi quam aurum: præter similia plura.

De Quaqueris in Mundo spirituali.

83. Sunt Enthusiastici spiritus, separati ab omnibus aliis, tam obesæ naris, ut credant se Spiritum sanctum esse; hi, cum Quaquerianismus incepit, sicut extracti sunt e sylvis circumçirca ubi errarunt, ac obsiderunt plures, & infuderunt persuasionem quod a Spiritu sancto agerentur; & quia sensu perceperunt influxum, Religiosum istud ita occupavit illos totos, ut crederent se præ reliquis illustratos & sanctos; quare etiam a religioso suo non abduci potuerunt. Illi qui se confirmaverunt in illo, in similem enthusiasmum veniunt post mortem, ac separantur a reliquis, & ablegantur in sylvas ad similes, ubi e longinquo apparent sicut sues sylvestres. Illi autem, qui se non confirmaverunt, separati ab aliis amandantur in locum similem deserto, qui est in ultimis plagæ meridionalis, ubi speluncæ sunt templa eorum.

84. Postquam priores spiritus enthusiastici ab illis remoti sunt, tremor qui ab illis invasit corpus illorum, cessavit, & nunc motionem ad sinistrum sentiunt. Ostensum est, quod a primo tempore successive abiverint in pejora, & tandem in nefaria ex mandato spiritus sancti illorum, quæ nulli propalant. Loquutus sum cum Instauratore religiosi illorum, & cum Pen, qui dixerunt quod in talibus nullam partem habeant. Sed illi qui talia patrarunt, post mortem demittuntur in locum tenebricosum, & sedent in angulis, apparentes sicut amurcæ.

85. Quoniam rejecerunt bina Sacramenta, Baptismum & Sacram Cænam, & usque legunt Verbum, & prædicant Dominum, & obsessi a spiritibus enthusiasticis loquuntur, & sic commiscent sancta Verbi prophanatis veris, ideo nulla societas formatur ex illis in Mundo spirituali, sed postquam dissociati errarunt huc illuc, disparantur, & in supradicto deserto colliguntur.

De

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

De Moravianis in Mundo ſpirituali.

86. Cum Moravianis, qui etiam Heerenhuteri vocantur, multa loquutus ſum: apparuerunt primum in valle non procul a Judæis; & poſtquam explorati & detecti ſunt, in loca inhabitata delati ſunt. Dum explorabantur, ſciverunt callide captare animos, dicentes quod reliquiæ Apoſtolicæ Eccleſiæ eſſent, & quod ideo ſalutent ſe fratres, ac matres illas quæ interiora illorum arcana recipiunt; tum quod præ cæteris doceant fidem, & quod ament Dominum quia paſſus eſt crucem, vocando illum Agnum, & Solium gratiæ; præter ſimilia alia, per quæ inducunt fidem, quod ipſa Eccleſia Chriſtiana apud illos ſit: illi qui a blandiloquiis illorum captati accedunt, explorantur ab illis num tales ſint, ut illis arcana ſua detegere auſint, ſi non, celant illa, & ſi poſſint, revelant; & tunc monent, & quoque minantur illis, qui arcanum illorum de Domino evulgant.

87. Quoniam ſimiliter fecerunt in Mundo ſpirituali, & tamen perceptum eſt, quod interius non ita cogitarent; ut hoc detegeretur, intromiſſi ſunt in Cælum ultimum, ſed non ſuſtinuerunt ſphæram charitatis & inde fidei angelorum ibi, & aufugerunt. Poſtea quia crediderunt in mundo, quod illi ſoli vivi eſſent, & in Cælum tertium venturi, etiam in illud cælum ſublati ſunt, ſed cum perceperunt ſphæram amoris in Dominum ibi, correpti ſunt angore cordis, ac inceperunt interius cruciari, & convulſivos motus agere ſicut qui in angone mortis ſunt, quare ſe inde præcipites dejecerunt. Per hæc primum manifeſtatum eſt, quod nihil charitatis erga proximum, & nihil amoris in Dominum intus foverent. Deinde miſſi ſunt ad illos, quibus munus explorandi interiora cogitationum injunctum eſt; & ab illis dictum eſt, quod Dominum vilipendant, charitatis vitam ita rejiciant ut illum abhorreant, & quod Verbum Veteris Teſtamenti inutile faciant, ac Verbum Evangeliſtarum contemnant, ſolum ex beneplacito ex Paulo deſumant ubi aliquid de ſola fide dicitur; & quod hæc ſint arcana illorum quæ pro mundo celant.

88. Poſtquam manifeſtatum eſt, quod Dominum ſicut Arriani agnoſcant, quod Verbum Prophetarum & Evangeliſtarum contemnant, & quod charitatis vitam odio habeant, cum tamen ſuper tribus illis ut columnis univerſum Cælum pendet, tunc illi qui in cognitione & ſimul in fide illorum arcanorum fuerunt, judicati ſunt ut Anti-Chriſti, qui rejiciunt tria eſſentialia Eccleſiæ Chriſtianæ, nempe Divinum Domini, Verbum & Charitatem, & conjecti extra Chriſtianum Orbem in deſertum, quod in fine Plagæ meridionalis prope Quaqueros eſt.

89. Audivi Zinzendorfium, cum in Mundum ſpiritualem recens poſt mortem venit, & admiſſus eſt loqui ſicut prius in mundo, conteſtantem quod ille ſciat arcana cæli, & quod nemo in cælum veniat niſi qui ex doctrina ejus ſit; tum quod prorſus damnati ſint qui bona faciunt ſalutis cauſa, & quod potius admittat atheos in ſuam congregationem quam illos. Quod Dominus ſit adopta-

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org

tus a Deo Patre pro Filio Ejus, quoniam paſſus eſt crucem, & quod uſque homo ſimplex fuerit: cum ei dictum eſt, quod conceptus ſit a Deo Patre, reſpondit quod de eo cogitet ſicut vult, non auſus eſt dicere ſicut Judæi. Præterea ab affectis ejus percepi plura ſcandala cum legi Evangeliſtas.

90. Dicunt ſe habuiſſe ſenſationem, & inde interiorem confirmationem ſuorum dogmatum: ſed oſtenſum eſt illis, quod ſenſatio illorum fuerit ex ſpiritibus viſionariis, qui apud hominem confirmant omnia ejus religioſi, & quod propius intrent apud illos, qui ut illi religioſum ſuum amant, & multum de eo cogitant. Illi ſpiritus etiam cum illis loquuti ſunt, & ſe mutuo agnoverunt.

Bayside Swedenborgian Church - http://www.baysidechurch.org